

intelligitur terminus secundarius: cum addito tamen nullus negat, et sic patet, quod est dissensio solum in modo loquendi. Nullum tamen videtur inconueniens, quod concedatur absolute in sensu dicto, quia Actorum x dicitur: *Ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum, et mortuorum.* In Græco, loco illius termini constitutus, ponitur alius significans idem quod prædestinatus. Et Augustinus tract. cv in Joannem ad illa verba: *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te,* capite xvii inquit: « Petebat gloriam resurrectionis suæ, quam dixit habuisse secundum prædestinationem. » Es communiter conceditur, quod fuit prædestinatus redemptor, quod consummavit per mortem, et resurrectionem, et gloriam. Cujus ratio est, quia gloria, et gratia habitualis non habent ita essentialem connexionem cum unione hypostatica, quod non potuisset de potentia Dei absoluta prædestinari unio, et non gloria, et gratia, quia in hoc nulla apparet implicatio. Unde si de facto gloria sequitur, fuit ex vi præcedentis prædestinationis, quia extenditur etiam ad hæc dona creata, et sic potest concedi, quod prædestinatio sub se comprehendit illa, et quod illa cadunt sub prædestinatione, et consequenter, quod Christo, fuit prædestinatus ad hæc donat intelligendo tamen quod secunda rio.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XII. Contra secundam conclusionem arguitur primo: Idem est ultimus finis Christi, et aliorum hominum, sed aliorum gloria est ultimus finis: ergo et Christi; sed propter hoc alii homines prædestinantur ad gloriam: ergo et Christus.

XIII. Respondetur cum S. Thoma in iii, dist. x, quæst. iii, quæstiuncula prima ad secundum, ubi æquivalenter ponit idem argumentum, et respondet: « Ad secundum dicendum, quod illa ratio procedit de felicitate creaturæ ex hoc quod unitur per operationem, sed ipsa natura beatificatur ex hoc quod Deo unitur in persona. » In quibus verbis ponit distinctam beatitudinem in humanitate Christi a felicitate aliorum, quod non est intelligendum beatificari per operationem, sed pro hoc quod est deificari substantialiter. Quod etiam dixerat dist. vii, quæst. iii, art. ii, quæstiuncula prima in corpore inquiring: « Dicendum quod prædestinatio importat ordinem ad finem; unde quando simpliciter ponitur, intelligitur præordinatio ad finem ultimum, qui est in conjunctione ad Deum per gratiam, vel gloriam, vel unionem in persona. » Ecce quomodo ponitur a S. Thoma ultimus finis, vel in gloria, sicut in nobis, vel in unione in persona, sicut in Christo, et iste est superior, ut dictum est.

XIV. Secundo arguitur: Prædestinatio principaliter terminatur ad majus bonum; sed gloria est majus bonum, quam unio hypostatica; ergo. Probatur minor; tum, quia sic se habet unio hypostatica ad gloriam Christi, sicut in nobis merita, hoc est, tamquam medium ad finem; sed finis principalior est, quam medium: ergo; tum, quia quod est ultimum in executione, est primum in intentione; ergo principaliter intentum: sed gloria est ultima in executione respectu unionis; ergo prima in intentione. Minor probatur, quia prius intelligitur esse substantiale, quam esse beatum; tum, quia quod via generationis est ultimum et perfectius, ut patet in gradibus hominis, perfe-

ctius est esse hominem, quam esse animal, etc. quæ sunt priora in exercitio via generationis; ergo principaliter intentum, in generatione; ergo similiter in prædestinatione.

XV. Respondetur negando primum antecedens. Ad primam impugnationem dicitur, quod unio hypostatica non est medium per se ordinatum ad gloriam, sicut in nobis merita ordinantur ad illam tamquam medium ad finem; sed in Christo est, sicut unus finis ad quem consequitur alius finis tamquam accidens secutum ad substantiam; unio enim est finis substantialis superior, et habet sua accidentia consecuta. Sicut forma substantialis dat esse substantiale, et est finis principalis generationis, et ad illam sequuntur aliqua accidentia tamquam finis secundarius, et non propter hoc dicitur, quod esse substantiale ordinatur tamquam medium ad finem ad esse accidentale.

XVI. Ad secundam impugnationem patet ex his. Illud enim principium philosophicum: Quod est ultimum in executione, est primum in intentione, intelligitur in eadem linea, hoc est, inter effectus in linea substantiæ. Si vero fiat comparatio inter accidens et substantiam, falsum est, quod ultimum in executione in linea accidentis sit primum in intentione simpliciter. Sicut in exemplo allato risibilitas sequitur ad essentiam, et est posterior in executione, et tamen non est prima in intentione comparative ad essentiam.

XVII. Ad tertiam impugnationem patet etiam, quod exemplum de gradibus hominis non est ad intentum, quia sunt in linea substantiæ, et in illa verum est, quod ultimum in executione est perfectius, non vero in linea accidentis comparative ad substantiam.

XVIII. Tertio arguitur: Prædestinatio est ordinatio alicujus ad aliquid; ergo supponit esse substantiale primum, et ordinat ad esse secundum, quod est accidentale, sicut in hominibus, et Angelis patet, quod præsupponitur substantia, et illa prædestinatur ad gloriam, quia quod nondum est, non potest prædestinari, et ideo homo, vel Petrus non prædestinatur ad esse hominem, sed unio hypostatica dat esse substantiale; ergo prædestinatio non terminatur ad illam, sed supponit illam, et Christum per illam constitutum prædestinat ad gloriam.

XIX. Respondetur ex S. Thoma in iii, dist. vii, quæst. iii, art. ii, quæstiuncula prima, ubi ponit hanc paritatem, et respondet: « Ad secundum dicendum, quod suppositum Petri non fuit antequam esset Petrus homo, et ideo non potest dici, quod sit prædestinatus esse homo, et ideo non est similis ratio: » et iterum: « Petrus nullo modo habet esse homo per gratiam; Filius autem Dei habet esse homo per gratiam unionis, non quidem sibi factam, sed humanæ naturæ, » ubi ponit duas solutiones, et in qualibet apparet disparitas. In prima, quod ante unionem hypostaticam præsupponitur suppositum Filii Dei, cui potest tribui esse humanum ex vi prædestinationis, quod non est in aliis: in secunda, quod ipsa unio hypostatica, et ipsum esse substantiale est supernaturale, et sic potest cadere sub prædestinatione: esse vero substantiale hominis, vel Angeli est naturale, et sic non potest cadere sub prædestinatione, nisi dicatur prædestinatio naturalis, et sub illa potest cadere, quia Deus prius determinavit ex vi providentiæ naturalis producere substantiam hominis, quam quodlibet accidens.

XX. Ultimo arguitur: Unio hypostatica potest fieri in aliqua na-

tura irrationali, (ut est communis opinio) quia de potentia Dei absoluta non implicat, ut conveniunt commentatores supra quæstione IV, circa articulum primum; ergo posset dici aliqua creatura irrationalis esse prædestinata: hoc autem est falsum, quia prædestinatio gratiam importat, et creatura irrationalis est incapax gratiæ; ergo unio hypostatica non est terminus prædestinationis.

XXI. Respondetur, quod in illo casu illud individuum naturæ irrationalis non esset Filius Dei, neque haberet denominationem personæ, neque esset sanctum, quia totum hoc repugnat irrationali naturæ, et sic etiam non esset effectus gratio- sus propter eandem rationem, quia est incapax gratiæ illa natura; et sic solum convincitur, quod non esset prædestinatio, sicut modo est ob defectum naturæ: modo vero quia natura non habet hos defectus, sicut dicitur ille homo Christus Filius, et sanctus substantialiter ex vi

unionis, potest dici etiam capax gratiæ prædestinationis, tunc tamen esset quædam providentia particularis. Hæc circa primum, et secundum articulum hujus quæstionis.

XXII. Circa tertium vero, et quartum in quibus S. Thomas disputat de prædestinatione Christi comparative ad nostram, si est exemplar, et causa nostræ prædestinationis, disputandum erat, si Christus meruit prædestinationem electorum absolute, non solum in communi, sed etiam in singulari, et quantum ad designationem unius præ alio. Sed quia I part. quæst. XIII, disput. VIII, articulo VI, hoc ex professo disputavimus, hic ex consulto omit- titur.

XXIII. De alio articulo cum isto connexo, scilicet, an Christus fuerit primus prædestinatus inter homines, et Angelos, vide supra disputa- tione III, articulo III, in solutione tertia, argumenti, et disputatione XI, articulo III ad primam rationem.

FINIS TOMI OCTAVI.

INDEX.

QUÆSTIO I.	
De convenientia incarnationis.	1
DISPUTATIO I. — De satisfactione puri hominis.	1
Articulus I. — Explicatur differentia satisfactionis perfectæ, et imperfectæ, et aperitur punctus difficultatis.	1
Articulus II. — Utrum homo purus per gratiam possit exhibere condignam satisfactionem pro peccato mortali.	6
Proponuntur argumenta primæ sententiæ.	11
Secunda sententia Vasquez.	14
Tertia sententia S. Thomæ.	15
Probabiliter dicitur peccatum infinitum simpliciter.	16
Probabiliter infinitas peccati dicitur secundum quid.	19
Solvuntur argumenta.	24
Articulus III. — Utrum contritio saltem ex imperfecta justitia satisfaciat pro peccato.	32
Sit una conclusio.	38
Articulus IV. — Utrum homo justus possit pro veniali peccato satisfacere ad æqualitatem.	45
DISPUTATIO II. — De satisfactione Dei hominis.	51
Articulus I. — Utrum valor satisfactionis Christi habeat infinitatem intrinsicam desumptam a supposito.	52
Solvuntur argumenta.	65
Articulus II. — Utrum omnes conditiones rigorosæ justitiæ intervenerint in satisfactione Christi Domini.	66
Conclusio: Christus Dominus satisfacit ex toto rigore justitiæ servando om- nes conditiones ad id requisitas.	66
Prima conditio, quod sit ad alterum.	67
Secunda conditio, quod sit ex propriis.	69
Tertia conditio, quod bona non sint sub dominio creditoris.	73
Quarta conditio, quod non sit alio titulo debitum.	76
Quinta conditio, quod creditor acceptare teneatur.	78
Articulus III. — Utrum ex virtute justitiæ commutativæ procedat satisfactio Christi.	82
Solvuntur argumenta.	87
DISPUTATIO III. — De objecto incarnationis.	90
Articulus I. — Explicantur instantia, seu signa rationis in decreto incarnationis, et aperitur punctus difficultatis.	90
Articulus II. — Utrum ex vi præsentis decreti poneretur incarnatio in re, si Adam non peccaret.	96
Resolutio difficultatis. Prima conclusio: Repugnat intelligere in aliquo priori quantumcumque præciso decretum efficax incarnationis Christi, ut efficax, et in genere, et ordine intentionis non intelligendo illud, in statu determinato personæ, naturæ passibilis, et officii redemptoris.	100
Secunda conclusio: Remedium peccati habuit connexionem cum decreto incarnationis efficaci.	102
Tertia conclusio: Simpliciter, et probabilior, et conformior sacre Scripturæ S. Thomæ sententia est, quod Christus non veniret, non existente peccato.	104
Quarta conclusio: Ante decretum efficax prædestinationis Christi fuit decretum	